proſequendum addimus exemplum, quod Zacutus (*b*) *habet, idquod certè lupum te, non hominem eſſe, eô niſi turberis, urgebit mutum. Iſtis adeò adducti & permoti* dictum malum *altiùs, quantum quidem in nobis eſt, quantumq́ʒ inſtituti ratio concedit, examinare, quidq́ʒ ſalutis pollicitetur, quídve incommodi minitetur, disquirere non abs re, ſed operę omninò fore pretium nobis promittimus.*

Annue! Optume JESU! annue cæptis! annue votis piis, religioſis!

a. in epiſt. ad Damagetum. b. libr. 7. nat. hiſtor. cap. 50. c. in Ajace. d. libr. 10. cap. 1. e. 6. aph. 18. f. de C. & S. diuturn. morb. lib. 2 c. 8. g. Method. med. p. 39. h. libr. 2. prax. admirand obs. 28.

THESIS I.

BOnô itaq; cum DEO rem aggreſſuri, *nominis* enodationem præmittere monemur, receptæ cùm ſit jam fidei, omina rerum eſſe nomina: primò enim mox intuitu hæc earum exponunt naturam, depingunt mores. Eam verò tribus, *ἐτυμολογίᾳ, ὁμωνυμίᾳ* & *συνωνυμίᾳ* concludimus. *Ετυμολογίαν vocabuli* quod ſpectat, derivationem *id* ſuam τῷ Κώλῳ debere obvium eſt, eſtq; deductum *ab ipſa parte affecta*: Nam affectionis hujus *πρῶτον δεκτικὸν* Κῶλον eſſe *Avicenna* (a) iſtis jam olim innuit: *Colica quidem*, inquiens, *ſecundum veritatem eſt nomen EIUS, IN QUO eſt cauſa.* Τὸ κῶλον vero dictum eſt *vel ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι*, torquendo, quod doloribus id maximè ſit obnoxium, ſonat ita verò effectum: *vel ἀπὸ τοῦ κωλύειν* prohibendo, retardando, quod ab varias cellulas feces in eo

remo